

QR. 524, 6

HC
228

DE

AGATHARCHIDE, GEOGRAPHO. ANTIQVISSIMO
ILLIVS. QVE. PERIPLO

R V B R I . M A R I S

DISSERIT. SIMVL. QVE

A D

ACTVM. VALEDICTORIVM

D. III. NON. APRIL. A. R. S. clo Iscc LXVI

HORA. NONA. INSTITVENDVM

SCHOLAE. NOSTRAE. PATRONOS

ATQVE

F A V T O R E S

EA. QVA. PAR. EST. OBSERVANTIA


I N V I T A T

M. IOAN. GEORGIVS. HAGER
RECTOR

CHEMNICII

LITTERIS. IOAN. CHRISTOPH. STOESSSELII





ostras qualescunque huc vsque editas profusiones de HANNONE & SCYLACE (a), antiquissimis Geographis, eruditus non prorsus displicuisse viris, publica testimonia testantur (b). Quae beneuola iudicia mihi in hoc studiorum studio currenti calcaria addiderunt haud ingrata, vt etiam reliquos antiquos Geographos excitandos recensendosque putarem. Perferutanti autem mihi statim occurrit

AGATHARCHIDES, siue AGATHARCHVS, Cnidius (c), eximius, vt fertur, Grammaticus, Rhetor, Historicus, Philosophus peripateticus (d), regis Ptolemaei Alexandri Tutor; atque Geographus. Huius quidem viri scripta multi etiam veteres, nimirum DIODORVS SICVLVS (e), STRABO (f), PLINIVS (g), FL. IOSEPHVS (h),

PLV-

(a) Sic de HANNONE, Geographo antiquissimo illiusque periplo extat profusio nostra Chemnicii, 1764. 4. & de SCYLACE, Geographo antiquissimo illiusque periplo Chemnicii, 1765. 4. edita.

(b) V. Noua Litter. Erlangensia ad Annum 1766. n. VIII.

(c) De vita & scriptis Agatharchidis consulendi sunt: PHOTII Bibliotheca Cod. 213. 250. GERHARD. VOSSIVS de Histor. Graecis Lib. I. c. 20. HENR. DODWELVS in Diss. III. de tempore, quo de mari rubro, vel de gentibus potius meridionalibus scripsit Agatharchides Tomo I. Geogr. min. graec. IOANNIS HUDSONII, Oxon. 1698. 8. IOAN. IONSIVS de Scriptoribus Histor. Philosoph. Lib. II, c. 12. p. 266. Edit. Ioan. Christoph. Dornii, Tenae, 1716. 4. IOAN. ALBERT. FABRICIVS in Biblioth. Graeca Lib. III, c. 7. p. 207. Lib. V, c. 38. p. 449. 496. Das Gr. Vniuers. Lexicon T. I, p. 755. Lips. 1732. f.

(d) STRABO Lib. XIV. p. 969. Edit. Almeloveen. Amst. 1707. f. vbi ita; Ἀγαθάρχειδης ὁ ἐκ τῶν περιπατρῶν, ἀνὴρ συγγραφεύς, Agatharchides peripateticus, vir Historicus. IOAN. ALB. FABRICIVS in Catalogo Peripat. in Bibl. Gr. Lib. III, c. 11. p. 272. IAC. BRVCKER in Hist. Crit. Philosoph. T. II p. 464. Lips. 1742. 4.

(e) In Bibliotheca sua saepius.

(f) Lib. XIV, p. 969. Lib. XVI, p. 1125. in quo loco posteriori periplum de mari rubro citat.

(g) In Histor. Nat. Lib. VII, c. 2. p. 371. c. 5. p. 374. Opp. Tom. I. IOAN. HARDVINI, Paris. 1741. f.

(h) In Antiquitat. Iudaic. Lib. XII, c. 1. p. 383. Contra Apion. Lib. I, p. 1050.

PLVTARCHVS (i), PHLEGON (k), LVCIANVS (l), ATHE-
 NAEVS (m), THEOPHYLACTVS Simocatta (n), & PHOTIVS (o),
 commemorarunt variaque memoratu digna ex illis adduxerunt: De pa-
 rentibus vero illius, natiuitate & morte illius tacent. Tacentibus au-
 tem antiquis vix aliquid certi eruere valemus. Interim in eo historia-
 rum monumenta consensire videmus, Agatharchidem nostrum, teste
 STRABONE (p), Cnidium, tempore Ptolemaei VI. siue Philometoris,
 regis Aegypti, & diu post illum ad tempora Ptolemaei Alexandri vsque
 vixisse. Sed ne sine argumento haec dixisse videamur, clarissimo duce
 DODWELLO ea quoque probabimus. Agatharchides noster in ado-
 lescentia sua, vt PHOTIVS (q) testatur, celeberrimi HERACLIDIS
 Lembii, Philosophi Peripatetici, Anagnostes, aut Lector & Cinnai
 alumnus fuit: Hic autem Heraclides *γενονίς ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ ἕκτου*,
 vixit sub Ptolemaeo sexto, sicuti SVIDAS (r) testatur: Hinc rite
 affirmari potest, Agatharchidem in adolescentia sua vixisse sub Ptole-
 maeo sexto, aut Philometore. Ptolemaeus Philometor regnavit ab
 V. C. 573 -- 608. (s) Intra hoc temporis spatium adeoque vixit Aga-
 tharchides adolefcens. Vtrum vero circa initium, an vero circa me-
 dium cursum, vel circa finem regni Ptolemaei Philometoris non con-
 stat.

Edit. Colon. rectius Lips. 1691. f. vbi prouocat ad Agatharchidem successo-
 rum Alexandri, praecipue Ptolemaei Lagi, res gestas describentem.

- (i) Sympof. Lib. VIII, qu. 9. p. 733. Opp. T. II. Francofurt. 1599. f.
 (k) In fragmento *περὶ θαυμασίων*, de Mirabilibus.
 (l) In illius Macrobio p. 642. Opp. T. II. Salmurii, 1619. 8. vbi ex Libr. IX
Hist. Aegypt. Agatharchidis Hieronymum 104. annos uiuentem adduxit.
 (m) Dipnosoph. p. 155. c. 251. f. 246. e. & saepius adhuc. Edit. Lugd. 1657. f.
 (n) Histor. Mauricianae Lib. VII. 17. p. 362. Ingolstadtii 1604. 4. vbi Anarchi-
 des legitur pro Agatharchides.
 (o) In Biblioth. Cod. 213. p. 2. 281. Cod. 250. p. 717. edit. Haesch.
 (p) In locis antea Nota f. citatis.
 (q) Locis antea citatis.
 (r) In Lexico suo voce *Ἡρακλῆδης Ὀξυρυχίτης*, p. 70. T. II. Cantabrigiae,
 1705. f.
 (s) Vide ISAACI CASA VBONI Synopsin Chronologicam in Hist. Polyb.
 p. 1618. T. II. Opp. Iac. GRONOVII 1670. 8. HENR. DODWELLI seriem
 regum Aegypt. e fragmentis Porphyrii desumptam & Dissertat. suae ad-
 aesciam p. 73.

stat. Sed ipse Agatharchides, quando vixerit, nos docet: Ego vero, inquit (t) a quo die constitutus sum *TUTOR corporis tui*, quum iuuenis admodum esses, *totiusque regni*, ab illo statim in magnum me laborem conieci. Quemnam? Is qui in voluptate versantur repugnare atque indignari, non facultates tibi primum auferendo, sed imperitiam, ut tantis bonis prudens fruaris, non peccans. Hoc enim quaerebam patris nactus benevolentiam tempore conciliatam, non adulationis irrisionem opportunitate assuetam. Noui enim, *πρεσβύτερος ὢν, ut natu grandior* multarumque rerum experientiam consecutus &c. Quibus in verbis duo nobiscum communicauit argumenta ipse Agatharchides, ex quibus ea, qua vixit, aetas erui potest. Sic deprehendimus 1) Agatharchidem suum de mari rubro periplum in *senectute* scripsisse sua, illumque 2) iuueni regi Aegyptiaco, cui ipse *Tutor* constitutus fuerat, dedicasse. De senectute verba illius clarissima sunt, quam etiam circa finem peripli (v) iterum profitetur, quando ita scribit: Cerera de insulis in pelago seruis repertis & cognitis, populisque vltioribus, & gratis odoribus, quos Troglodytica edit prouincia, commemoratione abdicata, attexere omnino superfedemus: *οὔτε τὸν πόνον τῆς ἡλικίας ὁμοίως ἐποφείραν δυναμένης*, cum aetas, nempe senilis, laborem perinde sufferre nequeat, multaue de *Europa & Asia* a nobis sint literis prodita. Quisnam vero ille rex iuuenis, *pupillus* fuerit, cuius *Tutor* Agatharchides erat, res altioris indaginis est. Oedipo opus est. Tentabimus. Hoc enim detecto aetas Agatharchidis in aprico erit.

Vixit Agatharchides, ut supra diximus, sub rege Ptolemaeo VI. Philometore, qui regnavit ab O. C. 3762 - 3805. Olymp. 150, I. - 158, 4. V. C. 573 - - 608. Sed huius regis Tutor esse non potuit, quia his temporibus ipse Agatharchides adolefcens erat.

Philometori successit frater Ptolemaeus VII. s. Euergetes II. Physcon alias & ab Alexandrinis Cacergetes dictus, regnans ab O. C. 3806 - - 3834 - Olymp. 159, I. - 166, I. V. C. 609 - - 637. Neque hic Ptolemaeus VII. vel Euergetes II. sub tutela Agatharchidis esse potuit. Eo enim, quo post

(t) In periplo de mari rubro p. 14. Edit. Hudsonianae.

(v) In Periplo p. 69.

post mortem fratris Philometoris regnum obtinuit, tempore nullo indiguit tutore, quia aetate pupillari iam maior erat. Accedit & alia adhuc ratio, cur neque Ptolemaeus VI. neque VII. in tutela Agatharchidis esse poterant, quia neutri parebat Syria. Eo vero tempore, quo Agatharchides tutor erat & periplum suum scripserat Syria Ptolemaeo pupillo subdita erat, ut ipse testatur scribens: Sabaei auri ditissimam Ptolemaei Syriam fecerunt (x).

Successor Evergetis II. erat Ptolemaeus VIII, Soter, vel Lathurus, Evergetis II. ex Cleopatra filius natu maior, qui regnavit ab O. C. 383i -- 3865. Olymp. 166, 2. -- 173, 4. V. C. 638 -- 668. Hic iterum minime gentium pupillus regius in tutela Agatharchidis erat. Post mortem patris decem annos Cleopatram matrem in regni administratione habuit sociam, hinc nullo ipsi opus erat tutore regni.

Et sic ille pupillus regius adhuc quaerendus est, qui sub tutela Agatharchidis fuerat. Fuit autem PTOLEMAEVUS ALEXANDER, frater Ptolemaei Soteris. Postquam enim Ptolemaeus Soter in exilium A. M. 3844. Olymp. 168, 3. A. V. C. 647. missus erat sola regnavit Cleopatra unum annum, quo finito Ptolemaeus Alexander, anno forsitan aetatis XIII. solus regnum obtinuit & ab O. C. 3846. Olymp. 169, 1. V. C. 649. vsque ad mortem A. O. C. 3863. Olymp. 173, 2. V. C. 666. regnavit & ab initio sub tutela Agatharchidis fuit.

Ex hac igitur serie regum Aegyptiorum, quam DODWELLVS ex Porphyrio hausit & firmissimis corroboravit argumentis (y), clarissime patet aetas, qua vixit & suum scripsit Periplus tutor Agatharchides. Vixit nimirum sub Ptolemaeo VI. VII. VIII. & Ptolemaeo Alexandro suo pupillo ab O. C. 3772 -- 3863. Olymp. 150, 1. -- 173, 2. V. C. 573 -- 666. & sic nonagenarius fuit. Scripsit vero Periplus intra A. O. C. 3846 -- 3863. Olymp. 169, 1. 173, 2. V. C. 649. -- 666. Sed haec haec tenus de aetate Agatharchidis. Nunc reliqua illius scripta nominabimus. Sunt vero illa (z):

(x) In Periplus p. 64. 65.

(y) In notis ad tabulam suam in Diss. saepius laudata p. 79. seqq.

(z) Vide I. A. FABRICIVM. in Bibl. Gr. Libr. III, c. 8. p. 208. V, c. 38. p. 449. ubi ex Photio catalogum scriptorum exhibuit.

1. Ἱστορικόν, opus historicum, pridem deperditum.
2. Τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐγνωσμένα, de rebus Asiae Libri IX.
3. Τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην, de rebus Europae. Libri XLIX. Hunc & antecedentem librum ipse Agatharchides in Periplo suo citavit p. 69.
4. Τὰ περὶ ἐρυθρῶν θαλάσσαν, de mare rubro, Libri V. Hodie fragmentum tantummodo habemus, de quo infra.
5. Ἐπιτομὴ τῶν περὶ τῆς ἐρυθρῆς θαλάσσης ἀναγεγραμμένων, Librorum de mari rubro Epitome Lib. I.
6. Περὶ Τρωγλοδυτῶν, de Troglodytis Lib. V.
7. Ἐπιτομὴ Ἀντιμάχου λυδῆς, Epitome Poematis Antimachi, cui titulus Lyde.
8. Ἐπιτομὴ τῶν συγγραφοτάων περὶ συναγωγῆς θαυμασίων, Epitome eorum, qui de mirabilibus scripserunt. V, IO. IONSIUM de Scriptor. Hist. Philos. Lib. II, c. 12, p. 206.
9. Περὶ ἀνέμων, de ventis.
10. Ἐκλογαὶ ἱστοριῶν, Electa historica.
11. Περὶ προσφιλοῦς ἐμιλίας, de amica consuetudine.

Sed haec omnia perierunt, praeter Excerpta quaedam ex primo & quinto libro de mari rubro a Phorio in Bibliotheca sua Cod. 250. conservata, quae graece prodiit cura & cum notis DAV. HOESCHELII Auguft. Vindel. 1601. f. Translatio lat. Andr. Schotti, Auguft. Vindel. 1606. fol. Graece & Lat. Genev. 1613. f. Rothomagi 1653. f. Ex Photio vero haec omnium primus separatim cum orbe litterario communicavit HENR. STEPHANVS cum Ctesia & Memnone sub hoc titulo: Ἐκ τῶν Κτησίου, Ἀγαθαρχίδου, Μέμνονος ἱστορικῶν ἐκλογαί, graece cum castigatōnibus H. Stephani, Parisiis 1557. 8. Deinde Ctesiae, Agatharchididis ac Me-

Memnonis Eclogae, graece cum LAVRENTII RHODOMANNI versione, Paris. apud H. Steph. 1594. 8. quae Rhodomanni Translatio lat. separatim typis expressa est Helmstad. 1594. 8. porro prodierunt cum versione lat. RICH. BRETTI, angli, Oxoniae, 1597. 8. & tandem in Scriptor. Geogr. vet. graecis minor. cum versione lat. Laur. Rhodomanni a IO. HVDSONIO Oxoniae, 1698. 8. editis Vol. I. a p. 1 - - 69. sub hac inscriptione: Ἀγαθάρχιδου περιπλους τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, Agatharchidis periplus rubro maris interprete LAVR. RHODOMANNO, cum notis & Diff. HENR. DODWELLI, ostendente tempus, quo de mari rubro, vel de gentibus potius meridionalibus scripsit Agatharchides. Et recte quidem iudicat Dodwellus. Nam in his excerptis varia magis mirabilia & gentes circa mare rubrum, siue sinum arabicum quondam habitantes, quam regiones describuntur. Tandem obseruamus attica dialecto scripsisse Agatharchidem.

Nunc autem conuertimus nos ad id, cuius caussa calamum arripiimus. Nimirum beneuolas aures quibusdam doctrinae nostrae alumnis pijs atque modestis publice dicturis ea, qua decet, animi pietate expetere debeo. Sic vero prodibunt:

I. Emanuel. Frid. Schmidtius, Ernstthal. Schcenburg.
animum gratum suis commendabit commilitonibus *orat. lat.*

II. Ioan. Erhard Pfnaußchnerus, Chemn. de *usu & abusu*
temporis dicit *gallice.*


III. Christian. Godofredus Angerus, Chemn.
honesti apud nos ciuis filius, qui a puero id sibi potissimum datum esse putauit, vt bonis litteris se totum consecraret. Hinc ante omnia verae pietatis modestiaeque semper integerrimus fuit cultor. Linguas hebraeam, graecam, latinam & vernaculam aliaque, quae ab humanitate nomen habent, studia diligentissime, vt nos omnes cum gaudio testamur, tractauit & in iis egregios fecit progressus variaque dexteritatis suae cum laude edidit specimina. Sic A. cl. 1661. xiiii. perorauit de antiquitate linguae teutonicae, *orat. teut. deinde eodem*
anno

QX IIc 228 X 337 2017

anno Inspectori Scholae nostrae Summe reuerendo, celeberrimoque
D. IOAN. FRID. GÜHLINGIO, Superintend. meritissimo solen-
niter consecrato faustissima quaeuis precatus est *carm. teut.* Tan-
dem A. cl^o lxxc lxxv. *carm. teut.* commilitonibus quibusdam abitu-
rientibus bona verba dixit praemissa *orat. graeca* de maximo Her-
culis opere. Nunc musis nostris valedicturus *carm. teut.* praemittere
orat. teut. de animo intrepido rebus in aduersis laudabili,

IV. Carolus Godofred. Müller, Ottendorf, Misn.
abituienti suo suorumque commilitonum nomine faustissima
precabitur *carm. teut.* praemissa *orat. lat.* de genuinis mediis ve-
ram assequendi felicitatem in regione quadam.

VOS tandem *Patroni ac Fautores* ea, qua decet, obseruantia colendi,
maximopere rogatos volo, vt honorifica VESTRA praesentia Actum
nostrum condecorare, dicentesque beneuole audire velitis. Gratiissi-
mum VOBIS pollicemur animum. Scribebam Chemnicii,
d. 28. Mart. A. R. S. cl^o lxxc lxxvi.



mi

Inches
Centimetres

B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13

HC
228

DE
DE, GEOGRAPHO. ANTIQVISSIMO
LLIVS. QVE. PERIPLO

R I . M A R I S

DISSERIT. SIMVL. QVE

A D

VALEDICTORIVM

APRIL. A. R. S. clo lxxx LXVI.

NONA. INSTITVENDVM

NOSTRAE. PATRONOS

ATQVE

A V T O R E S

PAR. EST. OBSERVANTIA

INVITAT

N. GEORGIVS. HAGER
RECTOR

CHEMNICII

AN. CHRISTOPH. STOESSELII

